



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Chronologia Diocletiana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

CHRONOLOGIA
DIOCLETIANEA.

ANNO CHRISTI

CCLXXXIV.

Dioeletianus levatur Imperator XII. Kal. Decembris.

CCLXXXV.

Kalendis Aprilis Maximianus Herculius à Diocletiano assumitur in consortium imperij.

CCXCIII.

Kalendis Martiis Diocletianus & Maximianus adoptant Constantium cognomento Chlorum & Galerium Maximianum cognomento Armentarium, eosque nuncupant Cæsares. Constantius repudiat Helenam, ex qua Constantinum, cui postea Magno cognomen hæsit, susceperat, & Theodoram Herculij privignam ducit. Galerius, repudiata quoque conjugè, Valeriam Diocletiani & Priscæ Augustæ filiam accepit uxorem.

CCXCVII.

Narfeus Rex Persarum victus fugatusque est à Galerio; & conjux filięque ejus captæ, cum maxima pudicitia custodia reservatæ sunt ad augendam triumphij pompam. Capta magna præda cum ingentibus manubiis.

CCCLII.

Diocletianus è Nicomedia, ubi tum regia sedes erat, in orientem profectus, illic substitit usque ad hyemem. Tum verò Nicomediam redux, ibi cum Galerio consultavit de bello Christianis inferendo.

C C C I I I.

Persecutio adversum Christianos hoc anno commota, omnium quæ unquam fuerunt atrocissima. Initium factum à civitate Nicomediensi, cujus Ecclesia everfa est VII. Kalendas Martias, ipso Terminalium die. Postridie propositum est edictum Imperatorum & Cæsarum adversus Christianos, ut per universum orbem sacrificare cogentur.

Diocletianus Romam proficiscitur, illicque vicennalia celebrat & triumphum agit de Persis. Mox facta pace, quæ in tempus Divi Constantini reservata duravit, Persæ Melopotamiam cum Transfigritanis quinque regionibus reddiderunt, limite superiorum super ripam Tigridis constituto.

Gothi, trajecto Istro, vicinam provinciam invaserunt, & indigenas expulerunt.

Diocletianus offensus nimia Romanorum dicacitate, statim post peracta vicennalia discedit, & XIII. Kalendas Ianuarias proficiscitur Ravennam.

C C C I V.

Diocletianus nonum consulatum auspicatur Ravennæ. Postea in difficilem morbum incidit, cujus vi de statu mentis suæ demotus, demens factus est; ac post ætatem, Nicomediam pervenit. Circum illic dedicavit anno post vicennalia repleto, & Idibus Decembribus, intercepto spiritu, visus est expirasse.

Eodem tempore quo Diocletianus nonum consulatum auspicatus est Ravennæ, Maximianus Herculus octavum inivit Romæ; & annum imperij vicesimum ingressus postea est Kalendis Aprilis. Deinde æstate ejus anni fuit in Campania.

Fine anni Galerius Maximianus Cæsar Nicomediam venit ad Diocletianum, ut eum compelleret ad deponendum imperium, quum antea idem persuassisset Herculo.

C C C V.

Kalendis Martiis Diocletianus apud Nicomediam processit in publicum, ut se vivum esse probaret populo.

Kalendis Maiis Diocletianus prope Nicomediam, Maximianus Herculus Mediolani purpuram deponunt, & Constantium Galeriumque Augultos nuncupant, Diocletianus Galerium, Herculus Constantium.

Eodem die Severus & Maximinus Daza facti sunt Cæsares, nominati quidem à Galerio, sed induti à Maximiano Severus, à Diocletiano Maximinus. Tum Diocletianus in patriam suam, hoc est, Diocleam in Dalmatia, revertitur; ubi præclaro otio consenuit. Hercules in Lucaniam concessit.

CCCVI.

Constantius Aug. filium suum Constantinum repetit à Galerio, apud quem velut obses tenebatur. Is ergo in Galliam profectus, ad patrem in extremis agentem pervenit xii. Kalendas Augusti. Quatriduo post Constantius extinguitur Eboraci in Britannia: cui successit Constantinus, cum patris suprema voluntate, tum militum consensu, qui ei purpuram injecerunt.

Imago laureata Constantini defertur ad Galerium. Ille verò purpuram ad eum misit, Cæsaremque nuncupavit viii. Kalendas Ianuarias, quum aut eodem die aut paulò antè Severum Augustum dixisset.

Interim, quum imagines Constantini Romam allatæ essent, Maxentius Herculij filius, patre diù retractante, imperium invadit vi. Kalendas Novembris; & patrem, qui tum in Campania erat, ad se vocans, eumque bis Augustum nominans, consortem imperij facit.

CCCVII.

Galerius Maximianus Severum Augustum, cui Italiæ custodia demandata fuerat, exercitum jubet ducere adversus Maxentium. Ille verò statim Romam obsidet, Ravennam fugit, ad Tre tabernas extinguitur mense, ut videtur, Februario.

Maximianus Hercules bis Augustus in Gallias proficiscitur, ubi Constantinum, qui hæcenus Cæsaris appellatione contentus fuerat, Augustum nuncupat pridie Kalendas Aprilis, & eidem in matrimonium locat filiam suam Faustam.

Interea Galerius Maximianus immensum exercitum ducit in Italiam, mortem Severi vindicaturus. Romam frustra obsidet, & redit inglorius in Illyricum.

Tum verò Hercules è Gallia redux, filium Maxentium deudare conatus in concione, convitia militum tulit; & urbe Italiaque pulsus, rursus ad Constantinum pergit in Gallias. Illic aliquantulum moratus, mox Carnuntum in Pannonia ad Galerium profectus, ibi Diocletianum inve-

nit; interfuitque 111. Idus Novembris nuncupationi Licinij Augusti, quem Galerius Maximianus substituit in locum Severi. Cùm verò frustra Diocletianum hortatus esset ad resumendum imperium, ab eo repudiatus rediit in Galliam; ubi iterum deposuit imperium, ac postea illic reliquum vitæ suæ egit.

C C C V I I I.

Maximianus Herculius X. & Galerius Maximianus VII. Consules fuere, constituta jam concordia inter eos & Maxentium.

C C C X.

Quum Franci turbarent statum Galliarum, & de eis reprimendis Constantinus cogitaret, Herculius semper inquietus, subdolanus, & infidus, auctor ei fuit ne omnem exercitum secum duceret, posse barbaros à paucis debellari. Credidit Constantinus & seni & socero. Interim Herculius cupiditate imperij stimulatus, cùm putaret Constantinum longius abesse, milites largitionibus & promissis sollicitat ad defectionem, thesauros invadit, & purpuram terribè induit in Belgica; & redeunte Constantino mira celeritate, timens quod meruerat, fugit in secundam Narbonensem, & se civitatis Arelatensis mœnibus includit. Dein adventante Constantini exercitu, Massiliam contendit; ubi obsessus à Constantino, captus est, & increpito vita donata. Verùm paulò post ejusdem Constantini jussu strangulatus est, quum deprehensus esset in insidiis quas Constantino moliebatur ut eum perimeret.

Eodem anno Galerius Maximianus in gravem ac periculosum morbum incidit, quo per annum perperem afflicatus est; isque morbus eum invasit quum iniret decimum octavum imperij sui annum.

C C C X I.

Galerius semper ægrotus, admonitus morbum illum evenisse sibi propter mala quæ Christianis intulerat, edicto proposito persecutionem quiescere jussit anno postquam coeperat octavo. Tum apertis carceribus, Christiani qui illic detinebantur, abire permitti sunt. Paulò post Galerius moritur Sardiæ mense, ut videtur, Maio, quum prius Licinio Valerian conjugem filiumque Candidianum commen-

dasset atque in manibus tradidisset. Sed hi quum comitatum Maximini infeliciter prætulissent, miserandam sortem habuerunt, ut postea dicitur.

Bellum inde inter Licinium & Maximinum de imperio certantes. Sed conditionibus certis pax & amicitia componitur in Bosphoro Thracio, ubi constitutus est limes imperij utriusque.

Maximinus postea indulgentiam communi Principum consensu Christianis datam tollit, subornatis legationibus civitatum quæ peterent ne illis intra civitates suas conventicula extruere liceret. Hinc acrius in eos sævitum, donec Constantini literis Maximinus deterreretur.

C C C X I I.

Valeria Galerij vidua in exilium jussu Maximini projecta cum matre Prisca, & in desertas Syriæ solitudines relegata, patrem suum Diocletianum per occultos nuntios gnarum calamitatis suæ facit. Repetenti verò eam patri Maximinus negavit.

Eodem tempore Maximiani Herculij statuæ Constantini jussu revellebantur; & imagines quoque Diocletiani, quia cum Herculio pictus erat, detrahebantur. Hinc dolor Diocletiani, qui paulò post fame atque angore confectus interiit III. Nonas Decembris.

Maximinus legatos Romam ad Maxentium mittit occultè, & amicitiam cum eo facit.

Iam autea Maxentius bellum Constantino indixerat, quasi necem Herculij patris sui vindicaturus. Iraque Constantinus exercitum adversus eum in Italiam ducit, Romam obsidet, Maxentium superat VI. Kalendas Novembris, & bi-duo post urbem victor ingreditur cum magna senatus populi que Romani lætitia. In castris ei ostensa est VI. Kalendas Novembris crux, signum victoriæ, pridie quàm pugnam committeret in qua Maxentius periit.

C C C X I I I.

Rebus in urbe compositis, Constantinus circa XV. Kalendas Februarij Roma digressus, Mediolanum contendit, ibique nuptias Constantiæ sororis suæ cum Licinio celebravit. Ea re peracta, Constantinus in Gallias revertitur, Licinius in Illyricum.

Interim Maximinus exercitum movet è Syria, bellum

504 CHRONOLOGIA DIOCLETIANEA.

Licinio illaturus, provincias ejus occupaturus. Occurrit ei Licinius in Thracia. Pugnatur pridie Kalendas Maias in campo quem vocabant serenum, inter Hadrianopolim videlicet & Heracleam. Victoria penes Licinium fuit.

Maximinus summa celeritate fugit Nicomediam, hinc in Cappadociam, postremò in Ciliciam, ubi miserando horrendoque mortis genere extinctus est apud Tarsum.

Fuso fugatoque Maximino, Licinius trajecit exercitum in Bithyniam; & Nicomediam ingressus, die Iduum Juniarum proponi jussit edictum de restituenda Ecclesia, verbeque etiam hortatus est ut conventicula in statum pristinum redderentur.

Pax Ecclesiae data post bellum decennale.

Licinius Valerium, Candidianum Galerij Maximiani filium, Severi filium Severianum, liberos Maximini, Valeriam & Priscam occidi jubet. Mitiùs actum cum uxore Maximini, quam satis habuit in orientem præcipitare.

FINIS.



Syllabus